

et præstitit, ac anno 878, Trevis interfuit concilio cui prædictus papa præsidebat, et in quo inter alia multa quæ definita fuere, sopita est querela Trecentem inter et Lingonensem Ecclesiam, ob Vandoperæ curam exorta, quam utraque sibi vindicabat, quæ Lingonensi episcopatu adjudicata est.

Tandem, multis ac præclaris functus operibus, pius præsul, Rhemos profectus, Catalauni subito decubuit et ibidem xv Kal. Augusti quievit in Christo, xxv annis in episcopali regimine transactis. Rhemos translatus, ibidemque sepultus, exinde permissione regis Caroli, cognomento Simplicis, studio quoque præsulis Argrimi successoris sui, Divionem relatus est, et in ecclesia S. Benigni, ut vivens præceperat, iv Nonas Februar. reconditus, ut docet Martyrologium ejusdem ecclesiæ initio hujus articuli jam citatum. Sub annum 880, inquit Chronicon Lingonense. Quod si ita est, ejus initium, non ab anno 859, quo episcopatu pacifice potitus est, sed anno circiter 856 ducendum est. Anniversarium ejus quotannis celebratur vii Kal. Augusti, et hanc in rem assignati sunt redditus de Viciniis, Gallico sermone vocatis

A *Voisines*, inquit Colbertinus codex 765. Composuit librum qui dicitur *Canones Isaac*, eo quod ex libris canonum utiliora quæque eligendo in unum volumen coarctaverit. Verba sunt Chronici sancti Benigni. Opus illud publici juris fecit Jacobus Sirmondus ad calcem tomi III Conciliorum; exstat et tomo VIII Conciliorum Labbe, p. 698, et tomo II Capitularium Baluzii. Ei quoque tribuitur epistola de Canone missæ, quam edidit noster D. Lucas d'Achery tom. I Spicil. Verum eam non esse Isaaci Lingon. episcopi, sed alterius cognominis abbatis Pictav. ordin. Cisterc. probat Baluzius, et agnoscit ipse Acherius tom. XIII Spicil. in indice auctorum et tractatum, etc., pag. 33. Ad eum scripsit Hincmarus pro quodam milite, quem anathemate ferierat, suadens ut mitius erga eum ageret, propter instantem de infestatione paganorum necessitatem. Quia illud anathema non durat amplius, nisi quandiu homo perseverat in peccato. Item pro nepotibus ipsius, qui apud eundem dominum Hincmarum nutriti fuerant, et alia quædam, uti refert Flodoardus.

ISAACI EPISCOPI LINGONENSIS CANONES^a.

(Apud Sirmond., concil. general. tom. VIII, col. 598.)

ISAACI PRÆFATIO.

um opportunitas ecclesiastica exegerit ut contra delinquentes et errantes pastoralis sententia profertur, frequenter evenit ut remedia quæ summo charitatis et pietatis ardore a patribus anxii præparantur, a filiis ægrotantibus ad suam perniciem respuantur. Et quia nec affectum medentium, nec suum, ut expedit, periculum damnationis perpendunt, oblata quæque fastidiunt, et velut inefficacia, quia sunt domestica, medicamenta contemnunt. Idcirco ego Isaac, indignus Lingonensis episcopus, propter quorundam minus acquiescentium desidiam, et querelam contra pastorem sollicitudinem, atque improborum insolentiam, qui omnia quæ ad emendationem vel ad suam cautelam dicuntur, a nobis ficta et excogitata garriunt et inventa, utile duximus, quædam saluberrimarum capitula sanctionum, quæ sanctæ Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ legatus Bonifacius venerabilis Maguntiacensis archiepiscopus Zachariæ papæ, una cum orthodoxo Carlomanno Francorum principe, in duobus episcoporum conciliis ad honorem et profectum Ecclesiæ Dei conscripsit, quæque etiam idem

^a Titulus in veteri codice nullus est. Eum indidimus quem suggerebat Chronicum sancti Benigni, ubi huius operis fit mentio his verbis: *Composuit idem B. Isaac episcopus librum qui dicitur Canones Isaac, eoque ex libris canonum utiliora quæque eligendo in unum volumen coarctavit.* Excerpsit autem ex libris Capitularis, ut vocat, præcipue vero ex tribus libris posterioribus, quos Benedictus Levita ad Ansegisi

C papa Zacharias sub anno incarnationis Dominicæ 742, auctoritate apostolica confirmavit, et omnibus Ecclesiæ Dei fidelibus irrefragabiliter observanda constituit, revolvere, et ad meam meorumque utilitatem quædam ex his quæ in quæstionem sæpissime veniunt, colligere, et in unum corpusculum aggregare: quatenus si nostra calumniaverint, vel sinistra interpretatione labefactare tentaverint, apostolica pariter et regali auctoritate compressi de cætero conticescant, et salutiferis curationibus vel inviti cum causa exegerit acquiescant.

De mallis vel placitis sæcularibus, quibus temporibus observari non debeant.

D Volumus omnibus comitibus, omnibusque reipublicæ ministris firmiter denuntiare, ut a quarta feria ante initium Quadragesimæ, nec in ipsa quarta feria, usque post in octavas Paschæ, mallum vel placitum publicum, nisi de concordia et pacificatione discordantium, tenere non præsumant. Similiter etiam a quarta feria ante nativitatem Domini, usque post consecratos dies observent. Necnon et in jejuniis Quatuor Temporum, et in Rogationibus, et in diebus

abbatis collectionem adjecit. Et quanquam quæ in his libris continentur, omnia, ut idem Benedictus sub finem libri vii tradit, per sedis apostolicæ legatos fuerant confirmata, constat tamen, ad Bonifacium et Zachariam non omnia, quod innuere sequens præfatio videtur, sed ea tantum pertinere, quæ initio libri v descripta sunt.

SIRMOND.

Pentecos tes, simili observatione eosdem feriatos A dies venerari omnimodis studeant.

Ut in immunitatibus ecclesiarum mallum vel placitum publicum nemo tenere præsumat.

Placuit ut nullus comes, neque aliquis ex iudiciali potestate, mallum aut placitum in immunitatibus vel atriis ecclesiarum tenere, aut quemquam de familia earumdem ecclesiarum quacunque occasione aut temeritate injuriare præsumat. Quod si fecerit, bannum dominicum persolvat, et insuper Deo et ecclesie quam læsit secundum canonicam institutionem in omnibus satisfaciat. Quam etiam si facere distulerit, tandiu a cœtu fidelium arceatur, donec, pœnitentia accepta, reatum quem commisit emendet.

De mansis uniuscujusque ecclesie.

Sancitum est ut unicuique ecclesie unus mansus integer absque aliquo servitio attribuatur, et presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus neque de atriis vel hortis juxta ecclesiam positis, neque de præscripto manso, aliquod servitium faciant præter ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum impendant.

TITULUS PRIMUS.

DE PŒNITENTIBUS.

CAP. I. *De pœnitentibus non cogendis vinum bibere.*
Ex libro v Capitularis, cap. 54.

Ut nullus presbyter, aut laicus, pœnitentem cogat vinum bibere, aut carnem manducare nisi ad præsens pro ipso unum vel duos denarios juxta qualitatem pœnitentiae dederit.

CAP. II. *De homine publicam pœnitentiam agente interfecto.*

Ex eodem libro, cap. 107.

Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, et wergildum proximis ejus solvat.

CAP. III. *De pœnitente cujus crimen pervulgatum est.*
Ex eodem libro, cap. 117.

(Lib. v Capitul., cap. 53.) In concilio Carthaginensi de hac re præcipitur, ut si cujusquam pœnitentis publicum et vulgatissimum crimen est, quod universam commoverit Ecclesiam, ante absidem manus ei imponatur. Et alibi in canonibus vel decretalibus Leonis papæ, præcipitur de eadem re, ut absolutio pœnitentium per manus impositionem episcoporum supplicationibus fiat. Et reliqua multa talia, et horum similia.

CAP. IV. *De pœnitentibus qui eucharistiam acceperint in infirmitate.*

Ex eodem libro, cap. 108.

(v, 54.) Pœnitentes qui in infirmitate viaticum eucharistiae acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.

CAP. V. *De pœnitentium absolute, ut per manus impositionem episcoporum, vel sacerdotum precibus fiat.*

Ex eodem, cap. 120.

(v, 56.) Si quis in periculo, vel pace, aut infirmitate pœnitentiam acceperit, si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus eucharistia.

CAP. VI. *Ut pœnitens, ostensis pœnitentiae fructibus, communionem recipiat.*

Ex eodem, cap. 121.

(v, 57.) Ut pœnitens, ostensis necessariis pœnitentiae fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiat.

CAP. VII. *Ut pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, super caput cilicium a sacerdote consequantur.*

Ex eodem, cap. 122.

(v, 58.) Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, et cilicium super caput, a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur.

CAP. VIII. *Ut omni tempore jejunii manus pœnitentibus a sacerdote imponatur.*

Ex eodem libro, cap. 123.

(v, 59.) Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a sacerdote imponantur.

CAP. IX. *Ut lapsi per manus impositionem episcopi absolvantur.*

Ex eodem, cap. 124.

(v, 60.) Ne absolutos lapsos in fide credamus, nisi per impositionem manus episcopi.

CAP. X. *Ut pœnitentes communicent qui ante reconciliationem moriuntur.*

Ex eodem, cap. 125.

(v, 61.) Placuit his qui, accepta pœnitentia, ante reconciliationem migrant ad Deum, communicari pro eo quod honoraverunt pœnitentiam. Qui, si supervixerint, stent in ordine pœnitentium : ut legitimam communionem statuto tempore reconciliatione et manus impositione episcopi, vel ejus jussu, presbyteri, recipiant.

CAP. XI. *Ut criminalia peccata multis jejuniis, et crebris manus impositionibus a sacerdote purgentur.*

Ex eodem, cap. 126.

(v, 62.) Criminalia peccata multis jejuniis, et crebris manus sacerdotum impositionibus, eorumque supplicationibus, juxta canonum statuta, placuit purgari. Ita ut nemo sine manus impositione episcopi, aut ejus jussu alicujus presbyteri, se credat esse a suis facinoribus absolutum. Non est mirandum, si absolutio peccatorum per manus impositionem precibus fit sacerdotum, cum Dominus in veteri lege super caput hostiae manum sacerdotis præceperit imponi. Etenim sicut tunc per illam hostiam, ita nunc invocatione sancti Spiritus, qui est remissio peccatorum, per manus episcoporum, vel eorum auctoritate reliquorum sacerdotum, impositionem, vel supplicationibus eorum remittuntur peccata. Nam quando Dominus Lazarum suscitavit, ait suis discipulis : *Tollite lapidem (Joan. xi), subaudi-*

tur, ut mortuus resurgat; dans exemplum, ut sicut A ipsi manibus tollunt lapidem, ut mortuus surgat, ita et ipsi, et successores eorum, manus pœnitentibus imponant, ut per impositionem manuum suis precibus mortuum de sepulcro, id est, peccatorem de vitiis surgere et relevare faciant. Et sicut illi Lazarum institit, id est funibus, colligatum, jubente Domino, solvunt, qui ait: *Solvite eum, et sinite abire*: ita isti eorum supplicationibus auxiliante Domino, et comitante Spiritu sancto, qui in his semper operatur, per manus impositionem peccatorum solvant vincula, eosque tempore a sanctis patribus constituto sacra eucharistia communicent, et absolutos ire permittant.

CAP. XII. *Ut pœnitentibus juxta canonicam auctoritatem pœnitentia detur, et ante suspensos a communione excubare faciant ad ecclesiæ officium.*

Ex eodem, cap. 128.

(v, 63.) Ut secundum formam canonum pœnitentibus detur pœnitentia: et prius eos a communione suspensos ad officium ecclesiarum excubare faciant, et inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem, crebro recurrere. Expleto autem satisfactionis tempore, sacerdotali prece per manus impositionem, juxta ordinem sacramentorum et canonum, reconcilient pœnitentes, et sacra communione confirment.

CAP. XIII. *De his qui separati a communione fuerint pœnitentibus.*

Ex eodem libro, cap. 129.

(v, 64.) Qui a communione separantur, in locis quibus seclusi fuerant per manus impositionem recipiant communionem. Nec se quisquam a peccatis absolutum sine reconciliatoria manus impositione credat: sed per manus impositionem precibus sacerdotum reconcilietur, sicut auctoritas habet ecclesiastica.

CAP. XIV. *Ne in confinio mortis pœnitens a reconciliatione diutine suspendatur.*

Ex eodem, cap. 130.

(v, 65.) Qui pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutine a reconciliationis gratia differendus est; sed si pro certo mortis urget periculum, pœnitentia per manus impositionem accepta, statim et reconciliatio adhibenda est: ne prius ab humanis rebus æger abscedat, quam donum reconciliationis accipiat; sicque superstitionibus quodammodo doloris videatur esse perpetui, si præcisum ab Ecclesiæ membris eum, qui utique reconciliationis non meruit gratiam, raptim e præsentis vita mortis natura subduxerit. Unde juxta papæ Leonis edictum (*epist. ad Theodorum Forojul.*): « His qui in tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras ponere possumus, nec tempora definire. » De his autem qui, accepta pœnitentia, antequam reconcilientur ab hac vita recesserint, quamquam diversitas præceptorum

de hoc capitulo habeatur, illorum tamen nobis sententia placuit, qui multiplici numero de hujusmodi humanius decreverunt, ut et memoria talium in ecclesiis commendetur, et oblatio pro eorum dedicata spiritibus accipiat.

CAP. XV. *De pœnitentibus qui ex gravioribus levioribusque commissis pœnitentiam gerunt.*

Ex eodem, cap. 131.

(v, 67.) De pœnitentibus, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus, pœnitentiam gerunt, si nulla intervenit ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum sacerdotis est judicare: ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigendi, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat.

CAP. XVI. *Ut pœnitentes, qui ex gravioribus peccatis pœnitentiam gerunt, tribus annis sint inter audientes si veram pœnitentiam gesserint.*

Ex eodem, capite 132.

(v, 69.) Pœnitentes qui ex gravioribus commissis pœnitentiam gerunt, si ex corde pœniteant, sicut Nicæna synodus de lapsis constituit (*can. 11*), tribus annis sint inter audientes, quinque vero vel septem annis subjaceant inter pœnitentes manibus sacerdotum, duobus etiam oblationes non sinantur offerre, sed tantummodo populis in oratione socientur. Non confundantur Deo colla submittere, qui eum non timuerunt abnegare. Quod si, utpote mortales, intra metas præscripti temporis cœperit vitæ finis urgere, subveniendum est implorantibus, seu ab episcopo qui pœnitentiam dedit, seu ab alio, qui tamen datam esse probaverit, aut similiter a presbytero, jussu aut permissu tamen proprii episcopi, per manus impositionem, absolute precum sacerdotalium, viaticum abeuntibus de sæculo non negetur. Pueris autem, quibus a puritate vocabulum est, seu clericis, seu laicis, aut etiam similibus puellis, quibus ignorantia suffragatur ætatis, aliquandiu sub manus impositione detentis reddenda communio est. Quod si ante præfinitum pœnitentiæ tempus despecti a medicis, aut evidentibus mortis pressi indiciis, recepta communionis gratia convaluerint, servemus in eis quod Nicæni canones ordinarunt, ut habeantur inter illos qui in oratione sola communicant, donec impleatur spatium temporis eisdem præstitum.

CAP. XVII. *Ut qui pœnitentiam publice gerunt uno anno cum cilicio sint inter audientes.*

Ex eodem, cap. 136.

(v, 71.) Qui pœnitentiam publicam gerunt, debent uno anno esse cum cilicio inter audientes, vel usque ad magnum diem: et populum, quando intrat ecclesiam, perfusi lacrymis debent veniam postulare, precarique eum humiliter, ut pro eis dignetur orare.

Tribus vero annis subiaceant inter pœnitentes manibus sacerdotum in loco retro ostium ecclesiæ pœnitentibus constituto, et seorsum infra ipsam ecclesiam populo secluso, tamen jam non in terram prostrati, sed vultu et capite humiliato, humiliter et ex corde, ut supra dictum est, veniam postulent, et pro se orare exposcant. Duobus etiam annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed populis tantummodo in oratione socientur, ut perfectionem septimo in cœna Domini consequantur, id est per episcopi, vel ejus jussu, si ipse abest, aliorum sacerdotum manus impositionem, absolute sacrosancti communione gratiam recepturi. In his vero septem annis multipliciter jejuniis, orationibus, fletibus, et eleemosynarum prout melius potuerint, exhibitionibus et lacrymis persistent, et ne ulterius eis talia contingant admodum caveant, ut mereantur illam Domini vocem audire inquam: *Vade et amplius noli peccare* (Joan. VIII).

CAP. XVIII. De pœnitentibus transgressoribus.

Ex eodem libro, cap. 137.

(v, 72.) Uthi qui frequenti prævaricatione peccant, vel pœnitentiam iterant, frequenti sententia, nisi per satisfactionem quæ prævaricati sunt emendantur, coerceantur vel condemnentur, ut hæc quæ voluntarie non diluerunt inviti emendant. Quod si aliquis renuerit, et præceptis suis sacerdotis inobediens apparuerit, secundum modum culpæ excommunicetur. Si quis autem his ante reconciliatorem, et eorum satisfactionem, absque proprii episcopi licentia communicare præsumpserit, simili excommunicationi subiaceat. Sacerdotes autem, ad quos pertinere noscuntur, si eos quolibet munere, aut favore, vel negligentia admonere noluerint, aut per satisfactionem revertentes non susceperint, aut contemnentes de ecclesia non rejecerint, simili sententia plectantur, quosque vel emendationis, vel eorum damnationis sententia promulgetur.

CAP. XIX. De negligentioribus pœnitentibus.

Ex eodem, cap. 139.

(v, 74.) Ut negligentiores pœnitentes tardius recipiantur.

CAP. XX. De eo qui pœnitentiam in infirmitate petit.

Ex eodem, cap. 40.

(v, 75.) Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuit, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam: et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus eucharistia. Si supervixerit, commoneatur a supradictis testibus petitioni suæ satisfactum, et subdatur statuto pœnitentiæ tempori, quandiu sacerdos qui pœnitentiam dedit probaverit.

A CAP. XXI. Ut pœnitentes non se credant absolutos sine manus impositione.

Ex eodem, cap. 41.

(v, 76.) Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum eucharistiæ acceperunt, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.

CAP. XXII. De pœnitentibus qui antequam leges pœnitentiæ exsequantur, si casu in itinere aut in mari mortui fuerint.

Ex eodem, cap. 42.

(v, 77.) Pœnitentes, qui antequam leges pœnitentiæ exsequantur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis sacerdos subvenire non potuerit, memoria eorum et orationibus et oblationibus commendetur.

B CAP. XXIII. Ut nullus vitam sine communione finiat, nec unctione benedicti olei careat.

Ex libro VI, cap. 75.

(vi, 75.) Si in infirmitate deprehensus quis fuerit, vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrosancti olei careat: et si finem perspiciat, sacrosancto corpore Deo anima ejus a sacerdote precibus commendetur.

CAP. XXIV. Ut nullus presbyter amplius quam unam ecclesiam sibi vindicet.

Ex eodem, cap. 76.

(vi, 73.) Quapropter omnibus placuit ut nullus presbyter amplius quam unam ecclesiam sibi vindicet: quia sicut unusquisque sæcularis non amplius quam unam habere debet uxorem, ita unusquisque presbyter non amplius quam unam habere debet ecclesiam.

CAP. XXV. De non recipiendis alienis pœnitentibus.

Ex eodem libro, cap. 131.

(vi, 129.) Qui pro delicto suo a communione separantur, placuit ut in quibuscunque locis fuerant exclusi, eisdem locis communionem consequantur.

CAP. XXVI. Ut tempus pœnitentium in consideratione episcopi consistat.

Ex libro VII, cap. 5.

(VII, 3.) Penes episcopos erit potestas, modum conversationis pœnitentium probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia vero præcedens eorum vita, et posterior inquiratur: et ita eis impartiat humanitas.

D CAP. XXVII. De pœnitentium conversatione et fide.

Ex eodem libro, cap. 6.

(VII, 4.) Conversatio pœnitentium et fides tempus abbreviat.

CAP. XXVIII. De satisfactione pœnitentiæ.

Ex eodem, cap. 20.

(VII, 12.) Satisfactio pœnitentiæ non est tam temporis longitudine, quam cordis compunctione pensanda.

CAP. XXIX. De mensura pœnitentiæ.

Ex eodem, cap. 21.

(v, 68.) Tempora pœnitentiæ habita moderatione

et arbitrio sunt constituenda, prout conversorum A animos sacerdotes viderint esse devotos : pariter etiam habentes ætatis senilis intaitum, et periculorum quorumque aut ægritudinum respicientes necessitates.

CAP. XXX. *De arbitrio episcopi erga pœnitentes.*
Ex eodem libro, cap. 30.

(VII, 18.) Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

CAP. XXXI. *De remissione pœnitentiæ.*
Ex eodem, cap. 36.

(V, 67.) Pœnitentes, quicumque ex gravioribus sive ex levioribus culpis pœnitentiam gerunt, si nulla intervenit ægritudo, quinta feria ante Pascha eis est remittendum. Cæterum de pondere æstimando delictorum sacerdotis est judicare.

CAP. XXXII. *Quod pœnitentibus nulla lucra negotiationis exercere conveniat.*
Ex eodem, cap. 68.

(VII, 44.) Nulla lucra negotiationis pœnitentibus exercere convenit, quia difficile est inter vendentis eumentisque commercium non intervenire peccatum.

CAP. XXXIII. *Ut nemo pœnitentem alterius parochiæ absolvat.*
Ex eodem, cap. 77.

(VII, 49.) Nullus sacerdos in alterius civitate, vel diœcesi, pœnitentem, vel sub manu positum sacerdotis, vel qui reconciliatum se esse dixerit, sine consensu et litteris episcopi, vel presbyteri, in parochia presbyter, aut episcopus in civitate suscipiat.

CAP. XXXIV. *De his qui, pœnitentia accepta, moriuntur.*
Ex eodem, cap. 138.

(VII, 101.) De his qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicare, quod morientis sufficit consolationi, secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut, ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recitant.

CAP. XXXV. *Ut nullus presbyter pœnitentes inconsulto episcopo reconciliare audeat.*
Ex eodem lib., cap. 202.

(VII, 143.) Statutum est, et in sanctis canonibus prohibitum, ut nullus presbyter pœnitentem publice, inconsulto episcopo, reconciliare præsumat, nisi morte forte periclitantem : sed omnes publice pœnitentes quinta feria ante Pascha, quæ est cœna Domini, ad civitatem in cinere et cilicio in præsentiam episcopi prostrato vultu conveniant, et ibi ab episcopo canonice et ordinabiliter, sicut in Sacramentario et in Romano ordine continetur, reconci-

liantur atque dijudicentur, consolenturque et prædicentur quid deinceps agere, quidve vitare debeant instruantur : atque insuper divinis precibus per manus impositionem ab episcopo sanentur. Nullo namque tempore presbytero in publica missa pœnitentem reconciliare sine licentia episcopi concessum est. Si quis hoc facere præsumserit, canonica correctione mulctetur.

CAP. XXXVI. *Qui luget abstinere debeata conviviis.*
Ex eodem, cap. 243.

(VII, 143.) Qui luget abstinere a conviviis, ac ornamentis et alba veste.

CAP. XXXVII. *De pœnitentibus, qualiter pœnitentiam debeant accipere.*
Ex eodem, cap. 310.

(VII, 231.) Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manus et cilicium a sacerdote consequantur ; et si aut comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur : et nisi digne pœnituerint, non recipiantur. Juvenibus etiam non facile pœnitentia committenda est, propter ætatis fragilitatem. Viaticum tamen omnibus in morte positus non denegandum.

CAP. XXXVIII. *De pœnitentibus quæ, defunctis viris aliis nubere præsumunt.*
Ex eodem, cap. 317.

(VII, 237.) Pœnitens quæ, defuncto viro, alio nubere præsumserit, et quæ vel suspecta, vel interdicta familiaritate cum extraneo se conjunxerit, cum eodem a liminibus ecclesiæ arceatur. Hæc etiam et de viro in pœnitentia posito placuit observari.

CAP. XXXIX. *De confessionibus fidelium accipiendis, qualiter pro modulo et qualitate sit pœnitentiæ temporis institutio.*
Ex eodem, cap. 78.

(VII, 294.) Quærendum namque est, cum accipit cujuslibet fidelis confessionem peccatorum, qualiter primo peccatum perpetratum, aut si postea iteratum, aut frequenter actum sit : si sponte, si coacte, si per ebrietatem, aut quodlibet ingenium factum sit, et cum invenerit unde radix illius peccati processit, tunc congruam adhibeat medicinam. Qualis vero peccati adhibenda sit medicina, secundum canonum authenticorum et sanctorum Patrum esse debet institutionem, et non secundum placitum hominis, sed secundum Dei voluntatem : nec in hac parte voluntas aut gratia hominis sectanda est, sed voluntas Dei in omnibus exquirenda, quatenus dignis precibus et pœnitentia digna placare possit omnipotentis Dei vindictam, quam suo vitio provocavit.

TITULUS II.

DE HOMICIDIIS.

CAP. I. *De presbyteris occisis.*
Ex libro v, cap. 186.

(Lib. IV Capitular., cap. 15.) Presbyteri interfecti

episcopo, ad cuius parochiam pertinent, solvantur secundum capitulare gloriosi Caroli genitoris nostri, ita videlicet ut medietatem wirgildi ejus episcopus utilitatibus ecclesiæ cui præfuit tribuat, et alteram medietatem in eleemosyna illius juste dispenset, quia nullus nobis ejus hæres proximior videtur, quam ille qui ipsum Domino sociavit.

CAP. II. *De homicidiis in ecclesiis vel in atriiis eorum perpetratis.*

Ex eodem, cap. 220.

(IV, 13.) Si quis aut ex levi causa, aut sine causa, hominem interfecerit in ecclesia, de vita componat. Si vero foris rixati fuerint, et unus alterum in ecclesiam fugerit, et ibi se defendendo eum interfecerit, si hujus facti testes non habuerit, cum duodecim conjuratoribus legitimis, per sacramentum affirmet se defendendo eum interfecisse: et posthæc de solidos ad partem ecclesiæ quam illo homicidio polluerat, et insuper bannum nostrum solvere cogatur: is vero qui interfectus est absque compositione jaceat, ac deinde interfecto secundum judicium canonicum congruam facinoris quod admisit, accipiat pœnitentiam. Si servus hoc admiserit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc sponte, an se defendendo fecit, et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur: si autem non fuerit, dominus illius juxta quod wirgildus illius est ad ecclesiam persolvat, aut eum si voluerit eidem ecclesiæ tradat. De ecclesiastico, et fiscalino, et beneficiario servo, volumus ut pro una vice wirgildus ejus pro eo componatur, altera vice ipse servus ad supplicium tradatur, hæreditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos hæredes illius perveniat. Si in atrio ecclesiæ, cujus porta reliquiis sanctorum consecrata est, hujuscemodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur vel componatur. Si vero porta ecclesiæ non est consecrata, eo modo componatur quod in atrio committitur, sicut componi debet quod emunitate violata committitur.

CAP. III. *De homine publicam pœnitentiam agente interfecto.*

Ex eodem, cap. 234.

(V, 18.) Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, et wirgildum proximis ejus persolvat.

CAP. IV. *De homicidiis prohibendis.*

Ex eodem, cap. 236.

(IV, 20.) Quicumque hominem aut ex levi causa, aut sine causa interfecerit, wirgildum ejus iis ad quos ille pertinet, componat: ipse vero propter talem præsumptionem in exilium mittatur ad quantum tempus nobis placuerit, res tamen suas non amittat.

CAP. V. *De occisione clericorum, et sacerdotum, atque monachorum.*

Ex eodem, cap. 261.

(III, 25.) Qui subdiaconum occiderit, ccc solidos componat: qui diaconum, cccc solidos: qui presby-

terum, dc solidos: qui episcopum, dcccc: qui monachum, cccc. solidos culpabilis judicetur.

CAP. VI. *De eo qui propriam reliquit uxorem, vel sine culpa interficit, et aliam ducit.*

Ex eodem, cap. 300.

(V, 149.) Quicumque, propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depositis publicam agat pœnitentiam: et si contumax fuerit, comprehendatur a comite, et ferro vinciatur, et in custodiam mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur.

CAP. VII. *Ut non sit sanguinis Christianorum temeraria effusio.*

Ex eodem, cap. 332.

(V, 180.) Volumus atque præcipimus nostra auctoritate denunciari omnibus, imo et a sacerdotibus prædicari, ne tam temeraria Christianorum sanguinis effusio in regno nostro fieri sinatur; semper illud attendentes quod Dominus post diluvium dixit famulo suo Noe: *De manu hominis, et de manu viri et fratris ejus, requiram animam ejus. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo (Gen. ix).* Et in lege: *Qui occiderit hominem morte moriatur (Levit. xxiv).* Et Apostolus: *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bono. Si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit (Rom. xv).* De illo enim specialiter divina auctoritas dicit: *Gladium Dei portat ad vindictam malorum, non de quolibet alio.* Econtra vero nescimus qua inventionem a nonnullis usurpatum est, ut hi qui nullo ministerio publico fulciuntur, propter sua odia, et diversissimas voluntates pessimas, indebitum sibi usurparint in vindicandis proximis et interficiendis hominibus vindictæ ministerium. Et quod rex saltem in uno exercere debuerat propter terrorem multorum, ipsi impudenter in multis perpetrare non metuunt propter odium: et putant sibi licere ob inimicitarum vindictas, quod nolunt ut rex faciat propter Dei vindictam.

CAP. VIII. *De eo qui occiderit clericum, aut monachum, ut arma relinquat.*

Ex lib. vi, cap. 90.

(VI, 90.) Qui occiderit monachum aut clericum, arma relinquat, et Deo in monasterio serviat cunctis diebus vitæ suæ, nunquam ad sæculum reversurus, et septem annorum spatio publicam pœnitentiam gerat.

CAP. IX. *De sacerdotibus et levitis atque monachis interfectis vel debilitatis.*

Ex eodem, cap. 98.

(VI, 97.) Si quis sacerdotem, vel levitam, aut monachum interfecerit, vel debilitaverit, juxta statuta priorum capitulorum, quæ legi Salicæ sunt addita, componat, et insuper bannum nostrum, id est lxx

solidos, nobis persolvat, arma relinquat, atque in A monasterio diebus vitæ suæ sub ardua pœnitentia Deo serviat, nunquam postmodum sæculo vel sæcularibus militaturus, neque uxori copulaturus.

CAP. X. *Quod homicidæ ante Deum deputentur, qui res ecclesiæ vastant.*

Ex eodem, cap. 421.

(VI, 324.) Volumus omnes scire quod qui Christi et Ecclesiæ pecunias auferunt, resque ejus fraudant, rapiunt, vastant, vel diripiunt, homicidæ apud Deum esse deputantur, quia res pauperum, quos Ecclesia pascere debet, diripiunt.

CAP. XI. *De homicidiis infantum.*

Ex libro VI, cap. 166.

(VII, 121.) Si quis infantem necaverit, ut homicida teneatur. B

CAP. XII. *De homicidiis quid agendum sit.*

Ex eodem libro, cap. 255.

(VII, 183.) De homicidiis ita jussimus observare, ut quicumque ausu temerario alium sine causa occiderit, vitæ periculo feriat, et pretio se redimere nunquam valeat: et si convenerit, ut ad compositionem quisque descendat, nullus de parentibus aut amicis eum quidquam adjuvet. Quod si fecerit, suum virgildum omnino componat.

CAP. XIII. *De his qui prius non habentes oilium, sed se defendentes, aliquem occiderint, qualiter corrigendi sint.*

Ex eodem, cap. 370.

(VII, 295.) Si quis quiete gradiens per viam, aut si etiam in domo sua fuerit, aut in platea civitatis, aut in villa, subito ab alio sit superventus, aut litis commotione, volens se defendere, non habens contra illum ante odium, interfecerit hominem, septem annis secundum canonicam institutionem pœniteat: tres vero a communione privetur, quatuor autem in communione orationum et oblationum susceptus, in sacerdotis pendeat arbitrio, utrum dignus sit corpus Christi accipere, aut usque ad plenitudinem pœnitentiæ ab eo separari. Abstinencia ciborum in providentia sacerdotis erit, secundum possibilitatem pœnitentis, et devotionem, et affectum.

CAP. XIV. *De mulieribus et viris infantes opprimantibus.*

Juxta prætitulatum caput.

(VII, 297.) Mulier quæ dormiens filium suum oppresserit, et mortuus fuerit, sex annis pœniteat: vir ejus, si in domo illius fuit, quatuor; si vero in uno lecto, simili modo pœniteat, duos in pane et aqua, reliquos quatuor, secundum quod sacerdotes viderit, abstinentiam imponat ciborum.

TITULUS III.

DE ADULTERIIS.

CAP. I. *De eo qui habet mulierem legitimam; si frater ejus adulteraverit cum ea.*

Ex libro V, cap. 21.

(Lib. V Capitular., cap. 19.) Si quis homo habens

mulierem legitimam, si frater ejus adulteraverit cum ea, ille frater, vel illa femina, qui adulterium perpetraverunt, interim quod vivunt, nunquam habeant amplius conjugium: ille vero cujus uxor fuit, si vult, potestatem habet uxorem accipere aliam.

CAP. II. *De his qui virginibus Deo sacris se sociant.*

Ex libro VI, cap. 402.

De his qui sacris virginibus se sociant, ita in decretis papæ Gelasii cap. 20 continetur: Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus, et post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscere. Quos protinus æquum est a sacra communione detrudi, et nisi publicam probatamque egerint pœnitentiam, omnino non recipi, aut his certe viaticum de sæculo transeuntibus negatur. Si vero de copulatione sacrarum virginum tam severe feriuntur, quanto severius feriendi sunt qui eas rapiunt? Ideo, sicut præmissum est, necesse est ab omnibus in Christiana religione consistentibus rigore auctoritatis divinæ vel humanæ hoc malum radicitus amputari.

CAP. III. *Quod blasphemiam Deo inferat, qui se cum Deo sacrata miscuerit.*

Ex eodem libro, cap. 403.

(VI, 309.) Scire vos convenit quia blasphemiam Deo irrogat, qui cum Deo sacrata, vel cum velata femina se commaculaverit.

CAP. IV. *Si clericus cum Deo sacrata se commiscuerit.*

Ex eodem libro, cap. 404.

(VI, 310.) Si clericus cum velata femina, vel cum Deo sacrata se maculaverit, proprio honore privetur.

CAP. V. *Quod sacrilegi et violatores juxta Apostolum sunt, qui violant sacratarum feminarum corpora.*

Ex eodem, cap. 405.

(VI, 313.) Sciendum est omnibus quia Deo sacratarum feminarum corpora per votum propriæ sponcionis, et verba sacerdotis, Deo sacrata templa esse Scripturarum testimoniis comprobantur: et ideo violatores earum sacrilegi, ac juxta Apostolum filii perditionis esse noscuntur. D

CAP. VI. *Quod fornicatio omnibus peccatis periculosior esse perhibetur.*

Ex eodem, cap. 406.

(VI, 312.) Quod pene omnibus peccatis gravior et deterior sit fornicatio, et veraciter dici potest laqueus mortis, et puteus inferni, ac vorago perditionis, eo quod adulteri vel luxuriosi propter cordis inopiam perdunt animas suas. Nam, ut ait Scriptura: Pretium scorti vix unus est panis (Prov. VI); et: Qui se jungit meretrici, unum corpus efficitur (I Cor. VI); et: Qui luxuriatur, mortuus est in corpore vivente (I Tim.).

CAP. VII. *De sæcularibus qui suas uxores derelinquunt.* A

Ex libro VII, cap. 305.

(VI, 226.) Hi vero sæculares, qui conjuga e consortium absque culpa graviore dimittunt, vel etiam dimiserunt, nullas culpas discidii probabiliter proponentes, et propterea sua matrimonia dimittunt, ut aut illicita aut aliena præsumant, si antequam apud episcopos comprovinciales discidii causas dixerint, et priusquam uxores judicio damnentur abjecerint, a communione Ecclesiæ, et sancti populi cœtu, pro eo quod quo conjugium et fidem maculant, præcidantur.

CAP. VIII. *De muliere quæ duobus fratribus nupserit, et de viro ejus.*

Ex eodem libro, cap. 371.

(VII, 296.) Mulier quæ duobus fratribus nupserit, adjici debet usque ad diem mortis, sed propter humanitatem in extremis suis sacramentis reconciliari oportet: ita tamen ut prius solvatur conjugium, et maneat innupta, et vir ejus absque uxore simili pœnitentiæ sit subditus. Quod si duo fratres cum una femina fornicati fuerint nescientes ad alterutrum fornicationem, statim ut cognoverint adulterium, qui eam habet uxorem dimittat. Et ille quidem post actam pœnitentiam, si uxor defuncta fuerit, potest alteri sociari; illa vivente, nequaquam. Illa vero nunquam ulterius poterit in conjugium assumi, et jugi pœnitentiæ summissa ad exitum vitæ communionis gratiam percipiat.

CAP. IX. *De muliere quæ adulteravit virum suum: similiter et de viro qui uxorem suam adulteraverit.*

Ex eodem, cap. 383.

(VII, 298.) Mulier habens virum, si adulterium perpetraverit, et occulte ad confessionem venerit, septem annis pœniteat; tres in pane et aqua, cæteros quatuor in providentia erit sacerdotis, qualiter eam viderit posse, et ita ei ciborum abstinencia imponatur. Similiter et vir habens uxorem, si adulterium perpetraverit, faciat, id est, per triennium ut non communicet. Si cujus uxor adulterium perpetraverit, et hoc a viro deprehensum fuerit et publicatum, dimittat uxorem si voluerit propter fornicationem: illa vero, secundum quod superius insertum est, publice agat pœnitentiam: vir vero ejus, illa vivente, nullatenus habeat licentiam aliam ducere uxorem. Quod si voluerit adulteram sibi reconciliare, licentiam habeat: ita tamen ut pariter cum illa pœnitentiam agat, et exacta pœnitentia ad communionem, sicut superius continetur insertum, utriusque accedant. Similis forma et in muliere servabitur. Si enim vir ejus adulteraverit, habet potestatem dimittendi virum propter fornicationem; maneat tamen innupta, quandiu vir ejus vixerit: quia nec ille habet potestatem aliam accipere prima vivente, nec illa primo; habent tamen potestatem semetipsos reconciliare.

TITULUS IV.

DE INCESTIS.

CAP. I. *De incestis.*

Ex libro V, cap. 9.

(Lib. V *Capitular.*, cap. 7.) Si homo incestum commiserit cum Deo sacrata aut cum matre sua, aut cum matrino sua de fonte aut confirmatione, aut cum matre et filia, aut cum duabus sororibus, cum matris filia, aut cum sororis filia, aut cum nepta, aut cum consobrino aut sobrina, aut cum amita vel matertera, aut cum his quibus canones prohibent copulari, de istis criminibus pecuniam suam perdat, si habuerit. Et si hoc emendare noluerit, nullus eum recipiat, nec cibum donet, et si fecerit, LX solidos domno regi componat, usquedum ipse homo se correxerit. Et si pecuniam non habuerit, si liber est, mittatur in carcerem usque ad satisfactionem: si autem servus aut libertus est, vapuletur plagis multis. Et si dominus suus eum permiserit amplius in talem lapsum incidere, ipse LX solidos domno regi componat. De reliquis vero propinquis, juxta constituta sanctorum Patrum et juxta decreta canonum judicetur.

CAP. II. *De incestuosis.*

Ex eodem lib., cap. 91.

De incestuosis, ut canonicè examinentur, et non propter alicujus amicitiam quidam relaxentur, quidam vero constringantur.

CAP. III. *Item de incestuosis.*

Ex eodem libro, cap. 165.

(V, 98.) Ut episcopi incestuosos puriter investigare studeant omnino præcipimus. Et si pœnitere noluerint, de ecclesia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur.

CAP. IV. *Ut episcopi incestuosos emendent et corrigant.*

Ex eodem, cap. 303.

(V, 152.) Ut episcopi incestuosos homines emendent, et magnam diligentiam habeant ex eis, seu et de viduis infra suam parochiam potestatem habeant ad corrigendum.

CAP. V. *Ut incesti et parricidæ canonicè coerceantur.*

Ex lib. VI, cap. 71.

(VI, 71.) De incestuosis et parricidis ut canonicè coerceantur, sicut de illo judicatum est, qui materteræ suæ filiam stupravit, ut conjugium ultra non repetat, et militiæ cingulum derelinquat, et aut monasterium petat, aut si foris remanere voluerit, tempora pœnitentiæ secundum canones plene exsolvat.

CAP. VI. *De incestis et criminosis, ac de infirmis et pœnitentibus, atque de jejuniis quatuor temporum.*

Ex eodem, capite 106.

(VI, 105.) Ut de incestis et criminosis maximam curam habeant sacerdotes, ne in suis pereant scribibus, et animæ eorum a districto judice Christo

eis requirantur. Similiter de infirmis ac pœnitentibus, ut morientes sine reconciliatione et viatico non deficiant, et ut quatuor temporum jejunia a fidelibus diligenter custodiantur.

CAP. VII. *De eo qui se incestuoso ordine his personis quibus a regulis prohibitum est conjunxerit.*

Ex eodem, cap. 400.

(VI, 306.) Si quis non eo gradu, sed incestuoso ordine cum his personis quibus a divinis regulis prohibitum est conjunxerit, usquequo pœnitentiam sequestratione testentur, utrique communione priventur: et neque in palatio habere militiam, neque in foro agendarum causarum licentiam habebunt. Nam si se quoquomodo prædicto incestu conjunxerint, episcopi seu presbyteri, in quorum diœcesi vel pago actum fuerit, regi vel iudicibus scelus perpetratum denuntient, ut cum ipsis denuntiatum fuerit, se ab eorum communione aut cohabitatione sequestrent. Res autem eorum ad primos parentes usque ad sequestrationem perveniant, sub ea conditione, ut antequam segregentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem regiam, ad proprias perveniant facultates, nisi præfatum scelus sequestrationis separatione et pœnitentia fateantur.

CAP. VIII. *Ex libro legum Theodosii tertio, cap. 12. De incestis.*

Ex eodem libro, cap. 401.

(VI, 307.) Quod incesti non sint legitimi hæredes, sed infamia sint notatæ utræque personæ.

CAP. IX. *Ut devotam Deo virginem, vel viduam, nullus conjugem accipiat.*

Ex eodem, cap. 402.

(VI, 308.) Ut deinceps, sicut canones ecclesiastici prohibent, nullus Deo devotam virginem, nullus sub religionis habitu consistentem, sive viduitatis continentiam professam, vel sui proximam generis, aut etiam de cujus admistione incestivæ notam possit subire infamiæ, illicito connubio, aut vi aut consensu accipiat conjugem: quia nec verum poterit esse conjugium, quod a meliori proposito deducitur ad deterius, et sub falsi nominis copula incestiva pollutione et fornicationis immunditia perpetratur. Hoc vero nefas si agere amodo cujuslibet gentis homines sexus utriusque tentaverint, insistente sacerdote vel iudice, etiamsi nullus accusator, ab invicem omnimodis separati exsilio perpetuo relegentur.

CAP. X. *De incestis quid agendum.*

Ex libro VI, cap. 257.

(VII, 185.) Ut incestum nullus sibi unquam societ conjugium. Quod si contigerit, ab episcopo loci illius separentur, et publicam septem annorum juxta canonicos gradus agant pœnitentiam. Qui autem hoc agere noluerint, anathema ab omnibus habeantur.

A CAP. XI. *De his qui cum pecoribus coitu misti sunt, aut more pecudum usque ad affinitatis lineam cum consanguineis incestum commiserunt, sive cum masculis concubuerunt.*

Ex eodem, cap. 456.

(VII, 273.) In hoc titulo Græca verba posita sunt, id est

quod nos Latine possimus dicere, *De his qui irrationaliter versati sunt, sive versantur.* In qua sententia sensus duplex est: id est, de his qui cum pecoribus, aut more pecudum cum consanguineis usque ad affinitatis lineam incestum commiserint, aut cum masculis concubuerint, quisquis ex his unum egerit, aut capite puniatur, aut si ei vita concessa fuerit, juxta Ancyrani concilii sententiam, quæ in capitulo 16 continetur, pœnitentiam veraciter agat.

B CAP. XII. *Ut incesti a sacerdotibus et Deum timentibus hominibus fideliter perquirantur, et canonice puniantur.*

Ex eodem, cap. 377.

(VI, 292.) De incestis omni studio perquirendum est sacerdotibus per homines veraces, et timorem Dei ante oculos habentes: et si reperti fuerint, statim aut per se emendare studeant, aut cum adjutorio archidiaconi sui episcopi hoc ipsum exstirpare satagent, ne tanto flagitio et scelere et illi polluantur et pereant, et alii in eorum vicinitate omnipotentis Dei iram incurrant.

C CAP. XIII. *Quod incestum committit, qui se consanguineæ suæ usque ad affinitatis lineam conjungit.*

Ex eodem, cap. 432.

(VII, 335.) Nullus fidelium usque ad affinitatis lineam, id est usque ad septimam progeniem, consanguineam suam ducat uxorem, vel eam quoquomodo incesti macula polluat. Si quis vero hoc scienter temerare præsumserit, si liber est, bannum nostrum, id est LX solidos, fisco nostro persolvat, et insuper canonice ut incestus luat, ac publice juxta canonicos gradus pœniteat. Si autem servus vel ecclesiasticus fuerit, publice flagelletur ac decalvetur, et juxta proprii episcopi jussionem pœnitentiam publice et canonice gerat. Quod si aliquis tam liber, quam servus, aut ecclesiasticus vel fiscalinus, episcopo proprio, vel suo sacerdote, aut archidiacono inobediens vel contumax, sive de hoc, sive de alio quolibet scelere exstiterit, omnes res ejus a comite et a misso episcopi ei contendantur, usque dum episcopo suo obediat, aut canonice pœniteat. Quod si nec ita correxerit, et ad episcopum et canonicam pœnitentiam venire distulerit, a comite comprehendatur, et in carcere sub magna ærumna retrusus teneatur, nec rerum suarum potestatem habeat, quousque episcopus jusserit. Quod si comes, vel ejus ministri hæc adimplere distulerint, canonice ab episcopo, vel a suo ministro excommunicetur, et usquedum hæc pleniter comes adimpleat, semper communione catholicorum careat, usque dum ipsi episcopo huma-

nus erga eum aliquid agere placuerit. Si vero, quod A non optamus, ipse comes, aut de prædictis causis, aut de ipsa excommunicatione inobediens, aut negligens suo episcopo apparuerit, honore comitatus pariter et communione careat, usque dum ambo in nostram præsentiam veniant, ut nos illum episcopali auctoritate, atque imperiali metu, ita corrigamus, ut cæteri timorem habeant, nec deinceps talia committere ullatenus audeant.

CAP. XIV. *Ut incesti, quandiu in scelere manent, non fidelium Christianorum, sed tantum aut gentilium, aut catechumenorum, vel energumenorum locum teneant.*

Ex eodem libro, cap. 404.

(VII, 336.) Incesti, dum in ipso detestando atque nefando scelere manent, non inter fideles Christianos, sed inter gentiles, aut catechumenos, vel energumenos habeantur, id est, cum Christianis non cibum sumant, non potum; non in eodem vasculo edant aut bibant, sed soli hoc faciant; non osculentur, aut salutentur ab eis. Et si suis sacerdotibus inobedientes exstiterint, et a tam nefandissimo scelere segregari, atque ad publicam pœnitentiam redire noluerint, inter eos habeantur qui spiritu periclitantur immundo, vel etiam inter eos de quibus ipsa Veritas dicit: *Si te non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. XVIII). Nam cum fidelibus non debent orare, nec in ecclesiam intrare, sed ad januam ecclesiæ excubare, et intrantibus in eandem, atque exeuntibus ex ea, vultu in terram prostrato veniam postulare, et ut pro se orare non dedignentur flagitare, et lacrymis perfuso vultu, contrito corde, atque humiliato spiritu omnibus apparere, usque ad satisfactionem Ecclesiæ, et proprii episcopi canonicam reconciliationem manere, et ad pristinum incestum nunquam redire: nec sæcularia negotia exercere, nec placitis aut accusationibus vel testimoniis interesse: sed crebris sacerdotum precibus, manusque pontificis proprii impositionibus, eleemosynarum largitionibus, atque cæterorum bonorum omnium exhibitionibus, eos purgari sanarique oportet.

CAP. XV. *Item, de incestis.*

Ex eodem libro, cap. 434.

(VII, 337.) Incestos nullo conjugii nomine præve- D landos esse censemus.

TITULUS V.

DE RAPTORIBUS.

CAP. I. *De raptu viduarum.*

Ex libro v, cap. 6.

(Lib. IV *Capitular.*, cap. 17.) Qui viduam intra primos xxx dies viduitatis, vel invitam vel volentem sibi copulaverit, bannum nostrum, id est lx solidos, in triplo componat, et si invitam eam duxit, legem suam ei componat: illam vero ulterius non attingat.

CAP. II. *De raptis et earum raptoribus.*

Ex eodem libro, cap. 223.

(I, 103.) De raptis et de raptoribus, quanquam specialiter decrevimus quid pati debeant qui hoc nefas deinceps facere tentaverint; quid tamen de his sacri canones præcipiant hic inserendum necessarium duximus, quatenus omnibus pateat quantum malum sit, et non solum humana, sed et divina auctoritate constricti, abhinc hoc malum caveatur.

CAP. III. *De puellis raptis necdum desponsatis.*

Ex eodem, cap. 224.

(I, 104.) De puellis raptis necdum desponsatis in concilio Chalcedonensi ubi DCXXX Patres adfuerunt, capitulo 28, ita habetur: Eos qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes et conniventes raptoribus, decrevit sancta synodus, siquidem clerici sunt, decidant gradu proprio; si vero laici, anathematizentur (quibus verbis aperte datur intelligi qualiter hujus mali auctores damnandi sunt, quando participes et conniventes tanto anathemate feriuntur), et juxta canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possint.

CAP. IV. *De desponsatis et ab aliis raptis.*

Ex eodem, cap. 225.

(I, 105.) De desponsatis puellis, et ab aliis raptis, ita in concilio Ancyrano, cap. 10, legitur: Desponsatas puellas, et post ab aliis raptas, placuit erui, et eis reddi quibus ante fuerant desponsatæ, etiamsi eis a raptoribus vis illata constiterit. Proinde statutum est a sancto conventu ut raptor publica pœnitentia mul- G tetur. Raptæ vero si sponsus eam recipere noluerit et ipse ejusdem criminis consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur. Quod si et illa consentit, simili sententia subjaceat. Quod si post hæc se conjungere præsumpserint, utriusque anathematizentur.

CAP. V. *De raptu alienarum sponsarum.*

Ex eodem libro, cap. 238.

(IV, 22.) Si quis sponsam alienam rapuerit, aut patri ejus, aut ei qui legitimus ejus defensor esse debet, cum sua lege eam reddat. Et quidquid cum ea tulerit, semotim unamquamque rem secundum legem reddat. Et si hoc defensor ejus perpetrari consentit, et ideo raptori nihil quærere voluerit, comes singula de unaquaque re freda nostra ab eo exactare faciat, et quanto tempore nobis placuerit in exilio maneat, et illam feminam ei habere non liceat.

CAP. VI. *Ut nullus occultas nuptias aut raptum faciat, vel quam propinquus habuit ducat uxorem, sed dotatam et a parentibus traditam, per benedictionem sacerdotum accipiat quam vult habere uxorem.*

Ex libro VII, cap. 70.

(VII, 127.) Sancitum est ut publicæ nuptiæ ab his qui nubere cupiunt fiant, quia sæpe in nuptiis clam factis gravia peccata, tam in sponsis aliorum quam et in propinquis, sive adulterinis conjugiiis, et quod pejus est dicere, cum consanguineis, accrescunt vel accumuluntur. Ex his autem procreari solent cæci,

claudi, gibbi, et lippi, sive aliis turpibus maculis A aspersi. Et hoc ne deinceps fiat omnibus cavendum est. Sed prius conveniendus est sacerdos, in cujus parochia nuptiæ fieri debent, in ecclesia coram populo : et ibi inquirere una cum populo ipse sacerdos debet, si ejus propinqua sit an non, aut alterius uxor, vel sponsa, vel adultera. Et si licita et honesta omnia pariter invenerit, tunc per consilium et benedictionem sacerdotis, et consultu aliorum bonorum hominum, eam sponsare et legitime dotare debet. Scribit namque de legitimo matrimonio beatus Augustinus ita : Sit casta in virginitate, et dotata legitime, et a parentibus tradita sponso, et a paranymphis accipienda, et ita secundum legem et Evangelium publicis nuptiis honestata, in conjugio licite sumenda, et omnibus diebus vitæ suæ, nisi ex consensu et causa vacandi Domino, nunquam propter hominem separenda. Et si fornicata fuerit, et vir ejus voluerit, dimittenda, sed illa vivente altera non ducenda, quia adulteri regnum Dei non possidebunt, et pœnitentia illi accipienda. Nolite vos, viri, habere uxores quarum priores mariti vivunt : adulterina enim sunt ista conjugia. Et hoc, ut diximus, omnino providendum est, ne ejus sit propinqua, quia scriptum est : *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus (Levit. xviii)*. Similiter scriptum est : *Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis ejus commistione maculaberis (Levit. xx)*. Et in decretalibus papæ Gregorii legitur : Si quis diaconam, aut monacham, aut comatrem spiritalem, aut fratris uxorem, aut neptam aut novercam, aut nurum suam, aut consobrinam, aut de propria cognatione, vel quam cognatus habuerit, duxerit uxorem, anathema sit; et responderunt omnes tertio: Anathema sit. Si quis viduam rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, vel consentientes ei, anathema sit; et responderunt omnes tertio: Anathema sit. Et si quis virginem, nisi desponsaverit eam, rapuerit vel furatus fuerit in uxorem, vel consentientes ei, anathema sit; et responderunt omnes tertio: Anathema sit. Et alibi in canonibus præceptum est ut nemo usque ad affinitatis lineam ex propinquitate sui sanguinis connubia ducat, neque virginibus sine benedictione sacerdotis quis nubere præsumat. Oppido enim ista omnia cavenda sunt ne fiant. Sed postquam ista omnia probata fuerint, et nihil impedierint, tunc si virgo fuerit, cum benedictione sacerdotis, sicut in sacramentario continetur, et cum consilio multorum bonorum hominum, publice et non occulte ducenda est uxor, ut boni ab his filii, Domino miserante, procreentur, et non tales, sicut superius dictum est.

CAP. VII. *De raptoribus viduarum vel virginum, et ut feminæ sacris altaribus non ministrent.*

Ex eodem, cap. 248.

Sancitum est ut raptores viduarum, vel virginum, ab Ecclesiæ communione pellantur, et ut feminæ sacris altaribus non ministrent, vel ali-

quid ex his quæ virorum sunt officiis deputata præsumant.

CAP. VIII. *De his qui rapiunt feminas, ut eas non habeant uxores, et qualiter de raptis agendum sit.*

Ex eodem, cap. 395.

(VII, 341.) Placuit ut hi qui rapiunt feminas, vel furantur, aut seducunt, ut eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniat, et eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint. Si quis autem uxorem habere voluerit, canonice et legaliter eam accipiat, et non rapiat. Qui vero eam rapuerit, vel furatus fuerit, aut seduxerit, nunquam eam uxorem habeat, sed propinquis suis eam legibus reddat, et in triplo plenum bannum dominicum componat, et insuper canonice publicam pœnitentiam gerat. Ad quod omnes una voce clamaverunt dicentes : *Ista omnes tenere firmiter volumus, et in perpetuum ab omnibus conservari optamus.*

TITULUS VI.

DE RAPACIBUS.

CAP. I. *De his qui infra regnum per vim aliquid rapuerint.*

Ex libro v, capitulo 344.

(Lib. v *Capitular.*, cap. 189.) Si quis in exercitu infra regnum, sine jussione dominica, per vim hostilem aliquid prædari voluerit, aut fenum tollere, aut granum, sive pecora majora vel minora, domosque infringere vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quod si ab aliquo præsumptiose factum fuerit, LX solidos, si liber est, sit culpabilis, et omnia similia restituat, aut duodecim testibus se purget. Si vero servus hoc fecerit, capitali crimini subjaceat, et dominus omnia similia restituat, quia servum suum non correxit, nec custodivit, ut talia non perpetraret. Quod si nos ipsos comedimus, cito deficiemus. Unusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat.

CAP. II. *De his qui rapinas infra regnum faciunt.*

Ex libro vi, cap. 97.

(VI, 96.) Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli ejusque homini aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulit legibus componat, et insuper bannum nostrum, id est LX solidos, nobis persolvat. Postmodum vero ante nos a comite adducatur, ut in bastonico retrusus usque dum nobis placuerit pœnas luat. Nam si publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta sanctorum canonum sanctionem. Si vero occulte, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam; quoniam *raptores*, ut ait Apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, *regnum Dei non possidebunt (I Cor. vi)*. Qui vero de rebus ecclesiarum aliquid abstulerit, gravius inde judicetur, quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, et sacrilegus vocatur qui ex eis aliquid aut abstulerit, aut rapuerit. Infames quoque

tales personæ usque ad satisfactionem ecclesiæ, A quam læserunt, sunt habendæ.

CAP. III. *Ut socios suos nominet apud quem pars rapinæ fuerit inventa.*

Ex eodem, cap. 355.

(VI, 135.) Apud quem scelus agnoscitur, et pars rapinæ fuerit inventa, statim socios suos nominare cogatur. Quod si nominare noluerit, teneatur ad vindictam. Quod si honestior persona est, pro se rationem reddat, et quæ ablata vel eversa fuerint, in quadruplum restituat. Quod si certe apud servum rapinæ pars reperiat, centum quinquaginta flagella publice extensus accipiat, et socios suos nominare non differat.

CAP. IV. *De his qui diripienda indicare reperiuntur.*

Ex eodem, cap. 356.

(VI, 136.) Quicumque ingenuus vel servus aliquid diripiendum indicaverit, ut cujuscunque res evertatur, aut pecora, aut jumenta diripiantur, et hoc certis probationibus publice convictus inveniatur, pro eo quod indicavit, si ingenuus est, ea quæ ablata vel eversa sunt in duplo restituat, et nobis bannum nostrum, id est LX solidos componat. Si vero servus vel colonus fuerit, CL flagella, ut supra, publice extensus bene pressa accipiat, et insuper ea quæ ablata sunt secundum suam legem restituat.

CAP. V. *De eo qui facultatem deprædationis dederit.*

Ex eodem libro, cap. 375.

(VI, 288.) Si quis scelerata factione facultatem deprædationis dederit, vel si quis factam diviserit, comburatur vivus.

CAP. VI. *Ut hi qui res Ecclesiæ invadunt, vastant, vel diripiunt, si monente episcopo non se correxerint, communionem priventur.*

Ex libro VII, cap. 267.

(VI, 132.) Si quis cujuscunque munuscula ecclesiæ sanctis Scripturarum titulis collata, nefaria calliditate abstulerit, fraudaverit, invaserit, retentaverit, atque suppresserit, et non statim a sacerdote commonitus Deo collata reddiderit, ab Ecclesiæ catholice communionem pellatur.

CAP. VII. *De his qui res ecclesiæ traditas invadunt, vel vastant, aut absque proprii episcopi consensu accipiunt.*

Ex eodem, cap. 275.

(VII, 199.) Si quis res ecclesiæ debitas, vel proprias sacerdotis, horrendæ cupiditatis instinctu occupaverit, retinuerit, aut a potestate ex competitione perceperit, si eas non restituerit, communionem privetur. Quod si, agnito jure ecclesiastico, non statim ecclesiæ vel sacerdoti reformaverit, aut ut ipsum jus agnoscere possit in iudicium electorum venire distulerit, tamdiu a communionem ecclesiasticam suspendatur, quandiu restitutis rebus tam ecclesiam quam sacerdotem reddat indemnem.

PATROL. CXXIV.

CAP. VIII. *De his qui oblationes defunctorum retinent.*

Ex eodem, cap. 20.

(VII, 199.) Similis etiam his qui oblationes defunctorum ecclesiis vel sacerdotibus legaliter dimissas quolibet modo assignare tardaverint, vel retinere præsumpserint, districtio ecclesiasticæ juxta priores canones forma servetur. Cui etiam sententiæ subjacebit quisquis sibi quolibet ordine, quod pro devotione sua ecclesiis dedit, revocare præsumpserit.

CAP. IX. *De abbatibus, presbyteris, vel reliquis ministris rebus ecclesiasticis non alienandis.*

Ex eodem, cap. 36.

Abbatibus, presbyteris, cæterisque ministris, de rebus ecclesiasticis, vel sacro ministerio traditis, nihil alienare vel obligare absque permissione et subscriptione episcopi sui liceat. Quod si præsumpserint, degradentur communionem concessa, et quod temere præsumptum vel alienatum est, ordinatione episcopi revocetur.

TITULUS VII.

DE SACRILECIS.

CAP. I. *Quod prædones ecclesiæ sacrilegi sint, sicut Scripturæ testimonio comprobatur.*

Ex libro VI, cap. 385.

(Lib. VI *Capitular.*, cap. 295.) Sacrilegi sunt ecclesiæ prædones. Unde et in concilio Agathensi sub quarto capitulo decretum habetur ita: Amico quidpiam rapere furtum est, ecclesiæ vero fraudari, vel abstrahi, subripique, sacrilegium. Omnes enim contra legem facientes, resque ecclesiæ diripientes, vel ecclesias sacerdotesque contra divinas sanctiones vexantes, sacrilegi vocantur, atque indubitanter infames sacrilegique habendi sunt.

CAP. II. *Quod ea quæ Domino consecrantur ad jus ecclesiasticum pertinent.*

Ex eodem, cap. 386.

(VI, 296.) Ea quæ Domino offeruntur vel consecrantur ad jus pertinent sacerdotum, et sacrilegi sunt omnes qui ea auferunt, vel in aliud transferunt.

CAP. III. *Ut si quis dignitatem præsumpserit, quam non meruit, a principe vel justo seniore sacrilegus habeatur.*

Ex eodem, libro, cap. 387.

(VI, 297.) Si quis præsumpserit, quam non meruit, a principe vel seniore justo, dignitatem, sacrilegus habeatur. Homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, et qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magosque cucurrerint, nullatenus erunt ad accusationem vel ad testimonium admittendi.

CAP. IV. *De sacrilegis, quod fures sint teste Scriptura.*

Ex eodem, cap. 395.

(VI, 312.) Omnibus sciendum est quod sacrilegi fures sint cuncti qui res ecclesiæ diripiunt, vastant,

invadunt, vexantque, aut a jure ecclesiarum, quibus traditæ fuerant, injuste alienant. Unde et beatus Augustinus in homilia 48 Evangelii Joannis ita dicit: Ecce inter sanctos est Judas, ecce fur est Judas, et ne contemnas, fur et sacrilegus: non qualiscunque fur, sed fur loculorum, sed dominicorum: loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in furto, non qualiscunque fur, sed peculatus. Peculatus enim dicitur furtum de re publica, et non sic judicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ: quanto vehementius judicandus est sacrilegus fur, non undecunque tollere, sed de Ecclesia tollere? Qui aliquid de Ecclesia aufert vel furatur, Judæ perditio comparatur. Nota quod aliquid de ecclesia tollere furtum esse beatus Augustinus asseverat, et patratorem tanti furti furem sacrilegum appellet, nec non et Judæ perditio æquiparet. Et post pauca: Quare, inquit, loculos habuit, cui angeli ministraverunt? nisi quia Ecclesia ipsius loculos habitura erat? Ecce quibus tanti doctoris documentis instruimur, quia quod in capite præcessit, in corpore ejus, quod est Ecclesia, videtur impletum. Porro Christum et Ecclesiam unam personam esse non nescimus; et ideo quæ Ecclesiæ sunt, Christi sunt, et quæ Ecclesiæ offeruntur, Christo offeruntur, et quæ ab Ecclesia tolluntur, procul dubio Christo tolluntur. Ergo futurum erat ut Ecclesia Christi nummos haberet: si nummos, utique et prædia, et mancipia, et diversarum specierum innumera ornamenta. Et quia illicitum sit ea quæ conferuntur Ecclesiæ auferri beati Hieronymi scribentis in expositione Matthæi evangelistæ verba testantur. Omnes, inquit, qui stipe templi, et his quæ conferuntur in usus Ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum et sacerdotum redimentium mendacium et sanguinem Salvatoris.

CAP. V. *Quod quidquid offertur Domino sanctum sanctorum sit, et ad jus pertineat sacerdotum.*

Ex eodem, cap. 396.

(VI, 303.) Nulli liceat ignorare quod omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, vel quidquid semel Deo fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, et ad jus pertinet sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis qui ea quæ Domino et Ecclesiæ competunt, aufert, vastat, invadit, vel diripit, usque ad emendationem, Ecclesiæque satisfactionem, quod sit sacrilegus, et non tantum sacrilegus; sed etiam fur sacrilegus.

CAP. VI. *De his sacrilegis qui Ecclesiæ ejusque sacerdotibus injurias inferunt.*

Ex eodem libro, cap. 397.

(VI, 304.) Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in ecclesias earumque res irruens, sacerdotibus et ministris, vel ipso cultui aut loco aliquid importet injuriæ, vel inferat ad divini cultus injuriam, convictos sive confessos reos capituli sententia

A noverit vindicandos. Nec expectetur ut episcopus injuriæ propriæ ultionem deponat, cui sanctitas ignoscendi solam gloriam dereliquit: sitque cunctis non solum liberum, sed etiam laudabile, factas atroces sacerdotibus aut ministris injurias, veluti publicum crimen, persequi, ac de talibus reis ultionem mereri.

CAP. VII. *Quod omnia quæ Domino offeruntur procul dubio et consecrantur.*

Ex eodem libro, cap. 398.

(VI, 305.) Omnia quæ Domino offeruntur procul dubio et consecrantur: et non solum sacrificia, quæ a sacerdotibus super altare Domino consecrantur, oblationes fidelium dicuntur: sed quæcunque ei a fidelibus offeruntur, sive in mancipiis, sive in agris, vineis, silvis, pratis, aquis, aquarumque decursibus, artificiis, libris, utensilibus, petris, ædificiis, vestimentis, pellibus, lanificiis, pecoribus, pascuis, membranis, mobilibus et immobilibus, vel quæcunque de his rebus, quæ ad laudem Dei fiunt, vel supplementum sanctæ Dei Ecclesiæ, ejusque sacerdotibus, atque ornatum præstare possunt, Domino Ecclesiæque suæ a quibuscunque ultro offeruntur, Domino indubitanter consecrantur, et ad jus pertinent sacerdotum. Et quia Christum et Ecclesiam unam personam esse veraciter agnoscimus, quæcunque Ecclesiæ sunt, Christi sunt; et quæ Ecclesiæ, vel in supradictis, vel in quibuscunque speciebus, sive pollicitationibus, sive pignoribus, sive scriptis, sive corporalibus rebus offeruntur, Christo offeruntur. Et quæ ab Ecclesia ejus quocunque commento alienantur, vel tolluntur, sive alienando, sive vastando, sive invadendo, sive minorando, sive diripiendo, Christo tolluntur. Et si ab amico quidpiam rapere furtum est, præcipue Christo Domino nostro, qui est rex regum, et Dominus dominantium, aliquid auferre vel alienare, subripere vel vastare, sacrilegium est. Omnes namque Ecclesiæ prædones manifestissime sunt sacrilegi, et nullus sacrilegus, nisi per puram probatamque atque publicam pœnitentiam, et per Ecclesiæ satisfactionem, episcoporumque per manus impositionem juxta canonicas sanctiones reconciliationem, regnum Dei possidebit. Et non solum a regno Dei fit alienus, sed etiam a luminibus sanctæ Ecclesiæ, et præcipue ab illius, quam læsit, usque ad prædictam satisfactionem extorris efficitur. Tali vero scelerum patratibus, nisi post prædictam satisfactionem, nec vivis, nec mortuis communicare debemus. Quia qui rapit pecuniam proximi sui iniquitatem facit: qui non solum sacrilegi, sed etiam fures sacrilegi, et lupi atque homicidæ, pauperumque necatores sunt, et insuper anathematis vinculo damnati coram Deo et sanctis ejus efficiuntur.

CAP. VIII. *Ut omnes agnoscant quantum malum sit Deo sacratas, vel reliquas incestare.*

Ex eodem libro, cap. 425.

(VI, 319.) Jubemus omnes scire, omnibusque populis a sacerdotibus prædicari, quantum malum et

quam maximum flagitium sit, cum Deo devotis feminis viduis vel virginibus, sive cum velatis, sive cum Deo devotis, maximeque cum sanctimonialibus et sacratis Deo virginibus vel viduis, tam in monasteriis, quam extra monasteria, commisceri. Nam hoc peccatum duplex esse non dubium est. Verbi gratia dicamus, cujus vindictæ reus sit puer ante dominum suum, qui uxorem domini sui adulterio violaverit: quanto magis ille, qui sponsam Christi Creatoris cœli et terræ putredine sua libidinis commaculaverit? dicente beato Paulo apostolo: *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, quia neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt (II Cor. VI).*

CAP. IX. Ut capitali sententia mulcentur qui sacrilegia, adulteria, prædationes aut devastationes exercuerint.

Ex eodem, capite 422.

(VI, 325.) Sub pœna capitali sacrilegia, adulteria, prædationes, vastationesque in regno nostro a quibuscunque fieri prohibemus. Ita ut si voluntarie quis ex his unum fecerit, de vita componat, et omnes res ejus, tam mobiles quam immobiles, fisco nostro socientur, vel Ecclesiæ cujus res vastaverit, vel alienaverit, aut abstulerit, tradantur. Maximum enim sacrilegium est oblationes fidelium, quæ sunt res ecclesiarum, auferre, vastare, alienare, invadere, vel subripere. Nam, ut ait Scriptura, *neque sacrilegi, neque adulteri, neque prædones, vel vastatores, regnum Dei possidebunt.* Et si hi qui res fratrum diripiunt, a regno Dei alieni sunt, quid super his fieri putatis, qui res Deo dicata diripiunt vel auferunt? Nam quanto gravius quis in hoc sæculo peccat, tanto gravius in inferno torquebitur.

CAP. X. De plebe adversus sacrilegos custodienda.

Ex libro VII, cap. 55.

(VII, 37.) Ante tribunal Domini de reatu negligentiae se non poterit excusare, qui plebem suam contra sacrilegæ persuasionis auctores noluerit custodire.

TITULUS VIII.

DE JURAMENTIS.

CAP. I. De sacramentis leviter non jurandis.

Ex libro V, cap. 349.

(Lib. V *Capitular.*, cap. 197.) Volumus ut sacramenta cito non fiant: sed unusquisque iudex prius causam veraciter cognoscat, ut enim veritas latere non possit, ne facile ad sacramentum veniant.

CAP. II. De perjuriis cavendis.

Ex libro VI, cap. 278.

(III, 40.) Præcipimus ut perjurya caveantur, nec admittantur testes ad juramentum antequam discutiantur: et si aliter discuti non possint, separentur ab invicem, et singulariter inquirantur. Et non licet soli accusatori testes eligere absente suo causatore. Et omnino nullus nisi jejunos ad juramentum vel ad

testimonium admittatur. Si vero aliquis refutatur, dicat ille qui eum refutat, et probet quare illum recipere nolit. Et de ipso pago non de altero testes eligantur, nisi forte longius extra comitatum causa sit inquirenda. Et si quis convictus fuerit perjuri, perdat manum, aut redimat.

TITULUS IX.

DE EXCOMMUNICATIS.

CAP. I. Cum excommunicatis non licere communicare.

Ex libro V, cap. 25.

(Lib. V *Capitular.*, cap. 23.) Cum excommunicatis non licere communicare, nec cum his qui per domos conveniunt devitantes orationes Ecclesiæ, simul orandum est. Ab alia ecclesia non suscipiatur B qui in aliena minime congregatur.

CAP. II. De eo qui excommunicatus pro suo neglectu fuerit.

Ex eodem libro, cap. 238.

(V, 28.) Si quis excommunicatus pro suo neglectu fuerit, et tempore excommunicationis suæ ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam.

CAP. III. De his qui cum excommunicato communicaverint.

Ex eodem libro, cap. 75.

(I, 36.) Ut quicum excommunicato præsumptiose communicaverit excommunicetur et ipse.

CAP. IV. De his qui episcoporum vocationem vel correptionem contempserint.

Ex libro VI, cap. 88.

(VI, 88.) Si quis sæcularium tam majoris ordinis, quam et inferioris, peccatum egerit, et vocatus sui episcopi auctoritate ad emendationem ac pœnitentiam venire distulerit, tandiu sit ab Ecclesia extorris, et catholicorum consortio sequestratus, quousque quod commisit emendet, ac reatum suum usque ad satisfactionem canonice diluat, atque reconciliatione proprii episcopi divinis precibus indulgentiam consequatur, et per veniam Ecclesiæ gremio, a cujus utero deviaverat, peracta satisfactione ab eodem melioratus episcopo canonice reddatur.

CAP. V. De his qui episcopo aliquam injuriam vel dehonorationem fecerint.

Ex eodem libro, cap. 99.

D (VI, 98.) Si quis episcopo aliquam injuriam aut injustam dehonorationem fecerit, de vita componat, et omnia quæ habere visus fuerit Ecclesiæ cujus episcopus præesse dignoscitur, integerrime socientur; et nobis in triplo bannum nostrum, id est LX solidos, persolvat, aut ipse in servitio fisco nostro serviturus semper societetur, usque se redimere in triplo justa wirgildum suum potuerit. Sancta vero Ecclesia in sacerdotibus constat. Idcirco magna pœna plectendi sunt, qui episcopis vel reliquis sacerdotibus injuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractio sacerdotum ad Christum pertinet, cujus vice legatione in Ecclesia funguntur.

CAP. VI. *De non parvipendenda excommunicatione sacerdotum.*

Ex eodem, cap. 248.

(VI, 224.) Placuit ut fideles ne parvipendant excommunicationem sacerdotum illorum : quoniam si hoc fecerint, juste segregabuntur a cœtu Christianorum.

CAP. VII. *Ut quicumque synodalem excommunicationem transgressus fuerit, in alia synodo spem recuperationis non habent.*

Ex lib. VII, cap. 9.

(VII, 6.) Si quis episcopus damnatus a synodo, vel presbyter aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint de sacro ministerio aliquid contingere, sive episcopus juxta præcedentem consuetudinem, sive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei, nec in alia synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis, sed et communicantes ei omnes abjici de Ecclesia : et maxime si postquam didicerint hoc factum esse, communicare tentaverint.

CAP. VIII. *Quod excommunicati a sacerdote, antequam canonicè reconcilientur, non possint majores natu accusare.*

Ex eodem, cap. 180.

(VI, 128.) Ut excommunicatus a sacerdote, quando in ipsa est excommunicatione, majores natu accusare non præsumat. Quod si præsumperit, non recipiatur, sed aut majori excommunicatione subiaceat, aut ab Ecclesia pellatur.

CAP. IX. *De modis excommunicationis tam de clericis, quam de laicis.*

Ex libro v, capite 63.

(v, 42.) Si quis presbyter ab episcopo suo degradatus, vel excommunicatus fuerit, et ipse per contemptum postea aliquid de suo officio sine comæatu facere præsumperit, et postea ab episcopo correptus et excommunicatus fuerit, qui cum ipso communicaverit scienter sciat se esse excommunicatum similiter. Quicumque clericus, aut laicus, vel femina, incestum commiserit, et ab episcopo suo correptus se emendare noluerit, et ab ipso excommunicatus fuerit, qui postea cum ipso communicaverit, similiter excommunicetur. Et ut sciatis qualis sit modus istius excommunicationis, in ecclesiam non debet intrare, nec cum ullo Christiano cibum vel potum sumere, nec ejus munera quicumquam accipere debet, vel osculum porrigere, nec oratione se jungere, nec salutare, antequam ab episcopo suo sit reconciliatus. Quod si aliquis se reclamaverit quod injuste sit excommunicatus, licentiam habeat ad metropolitanum episcopum venire, ut ibidem secundum canonicam institutionem judicetur, et interim suam excommunicationem custodiat. Quod si aliquis ista omnia contempserit, et episcopus hoc emendare minime potuerit, regis judicio condemnetur.

CAP. X. *Item de eadem re.*

Ex eodem libro, capite 64.

Hæc vero per singula capitula in statutis Nicæni

A concilii legere potestis, seu in aliis sanctorum Patrum synodalibus edictis, et in Antiocheno concilio, quod hi qui damnati sunt a synodo, vel a suo episcopo, et postea ministrare præsumunt, præcipitur ut nullus audeat eis communicare. Si quis vero eis communicat, simili sententia subiaceat, sicut et damnatus.

TITULUS X.

DE STABILITATE SACERDOTUM IN TITULIS PROPRIIS.

CAP. I. *Ut clericus in ecclesia in qua prætitulatus est permaneat.*

Ex libro v, capite 28.

(Lib. v *Capitular.*, cap. 26.) Clericum permanere oportet in ecclesia cui initio ab episcopo prætitulatus ac sortitus est, et ad quam confugit quasi ad portum. Hoc autem refutantem revocari debere ad suam ecclesiam in qua primitus ordinatus est, et ibi tantummodo ministrare. Si quis hanc definitionem transgressus fuerit, decrevit sancta synodus a proprio gradu decidere.

CAP. II. *Ut in titulis in quibus presbyteri consecrantur, ante suam promotionem stabilitatem promittant.*

Ex eodem, capite 75.

(v, 108.) Ut presbyteri, qui in titulis consecrantur, secundum canones, antequam ordinentur, promissionem stabilitatis loci illius faciant.

TITULUS XI.

C INCIPIUNT ALIA CAPITULA EX QUINTO, SEXTO ET SEPTIMO LIBRO CAPITULARIS COLLECTA, SATIS ECCLESIASTICIS UTILITATIBUS CONGRUA.

CAP. I. *De eo qui filiastrum aut filiastram ante episcopum tenuerit.*

Ex libro v, capitulo 7.

(Lib. v *Capitul.*, cap. 5.) Si quis filiastrum aut filiastram ante episcopum ad confirmationem tenuerit, separetur ab uxore sua, et alteram non accipiat. Similiter et mulier alterum non accipiat.

CAP. II. *De eo qui filiastram suam contra voluntatem ipsius dederit ingenuo vel servo.*

Ex eodem libro, cap. 19.

(v, 17.) Si quis homo filiastram suam contra voluntatem ipsius, et matris, et parentum, dederit viro ingenuo, aut ecclesiastico, vel servo, et illa noluerit habere illum, et reliquerit eum, potestatem habeant parentes illius dare illi alium maritum.

CAP. III. *De presbytero suspicioso.*

Ex eodem, cap. 36.

Sacerdos si suspiciosus aut incredibilis suo episcopo, aut reliquis suis consacerdotibus, sive bonis et justis de suo populo vel de sua plebe hominibus fuerit, ne in crimine, aut in prædicta suspicione remaneat, cum tribus aut quinque vel septem bonis ac vicinis consacerdotibus, exemplo Leonis papæ, qui duodecim episcopos in sua purgatione habuit, vel eo amplius, si suo episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi id esse perspexerit,

et cum aliis bonis et justis hominibus, se sacramento A
coram populo super quatuor Evangelia purgatum
Ecclesiæ reddat. Si quis autem scire desiderat qua-
les testes ad accusationem sacerdotum recipi de-
beant, et quid de accusatore faciendum sit, pleniter
in canonibus reperiri poterit.

CAP. IV. *Ut presbyteri chrisma diligenter custodiant.*
Ex eodem libro, cap. 155.

(v, 80.) Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma,
et nulli sub prætextu medicinæ vel maleficii donare
præsumant. Quod si fecerint, honore priventur.

CAP. V. *Item unde supra in eodem.*
Cap. 104.

Ut presbyter qui sanctum chrisma donaverit ad
iudicium subvertendum, postquam de gradu suo B
depositus fuerit, manum amittat.

CAP. VI. *Ut malum ebrietatis omnino vitetur.*
Ex eodem, cap. 161.

(v, 96.) Magnum malum ebrietatis, unde omnia
vitia pullulant, modis omnibus cavere præcipimus.
Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum
eum esse decrevimus usque ad emendationem con-
gruam.

CAP. VII. *De ecclesia ædificanda.*
Ex eodem libro, cap. 382.

(v, 229.) Nemo ecclesiam ædificet antequam ci-
vilitatis episcopus veniat, et ibidem crucem figat
publice, et ante præfinit qui ædificare vult, quid
ad luminaria, et ad custodiam, et ad stipendia cu- C
stodum sufficiat, et facta donatione sic domum
ædificet.

CAP. VIII. *De non iudicando quemquam absque le-
gitimo accusatore.*
Ex eodem, cap. 298.

(v, 244.) Iudicis non est quemlibet iudicare, vel
condemnare, absque legitimo accusatore, quoniam
et Dominus Judam furem esse sciebat: sed quia
non est accusatus, ideo non est eiectus.

CAP. IX. *Quod laicis non sit de religione præsu-
mendum.*
Ex eodem libro, cap. 403.

(v, 249.) Laicis quamvis religiosi, nulla tamen
de ecclesiasticis facultatibus, vel de Deo dicatis D
hominibus, aliquid disponendi attribuat facultas.

CAP. X. *Si quis episcopus, presbyter, diaconus, vel
subdiaconus, ad bellum processerit, deponatur.*
Ex libro vi, cap. 61.

(vi, 61.) Si quis episcopus, presbyter, diaconus,
vel subdiaconus, ad bellum processerit, et arma
bellica indutus fuerit ad bellicandum, ab omni officio
deponatur, in tantum ut nec laicam communionem
habeat.

CAP. XI. *De his qui volunt aquam consecratam in
Sabbato sancto accipere.*
Ex eodem libro, cap. 82.

(vi, 77.) Quod in Sabbato sancto Paschæ, vel in

Sabbato Pentecostes, si qui velint aquam consecra-
tam ad aspersionem in domos suas accipere, ante
chrismatis accipiant infusionem.

CAP. XII. *De confirmatione episcoporum a plebe
sollicite quærenda.*
Ex eodem, cap. 73.

(vi, 82.) Ut omnes maximam curam habeant, ne
sine confirmatione episcopi quis vitam finiat, ani-
maque periclitetur.

CAP. XIII. *De viro et muliere in matrimonio copulatis,
et postea dicente ea non posse eum nubere cum ea.*
Ex eodem, cap. 91.

(vi, 85.) Si vir et mulier conjunxerint se in ma-
trimonio, et postea dixerit mulier de viro non posse
nubere cum ea, si potuerit probare quod verum sit,
accipiat alium, eo quod juxta Apostolum non potuit
illi reddere vir suus debitum (I Cor. vii).

CAP. XIV. *De raptoribus et raptis virginibus et
viduis.*
Ex eodem, cap. 96.

(vi, 95.) Si quis alterius sponsam, virginem aut
viduam necdum desponsatam rapuerit vel furatus
fuerit, placuit ut, sive eam postea sponsaverit, sive
dotaverit, sive non, sive cum parentum ejus volun-
tate quocunque commento ipsam accipere vel tenere
potuerit, nunquam illam uxorem habeat: sed rap-
tori aut furi auferatur, et proximis suis alio viro
tempore congruo, si ipsa hoc malum non consenserit,
nuptura legibusque acceptura reddatur. Raptor vero
sive fur, omnesque ei consentientes, publica pœni-
tencia juxta canonicam auctoritatem mulctentur: et
proximis illius quidquid injuste in tam nefando sce-
lere egerint in triplo componant, et unamquamque
rem semotim legibus in triplo restituant. Ipsa au-
tem quæ rapitur, si aut primo, aut postmodum, tam
nefario sceleri libens consenserit, nunquam postea
nubat, sed publica pœnitentia mulctetur, et sub tali
custodia ponatur, ut ei nullatenus luxuriari cum
quodam liceat. Taliter enim memorata flagitia pu-
niantur, ut omnes cognoscant quoniam nec sæculi
leges tam nefandis conjunctionibus consentiant, nec
sacri canones concilium ullum præbeant.

CAP. XV. *De his qui in domo sua oratorium fecerint.*
Ex eodem libro, cap. 102.

(v, 101.) Qui in domo sua oratorium habuerit,
orare ibidem potest, missas tamen in eo celebrare
non audeat, nec agere cuiquam permittat sine per-
missu et dedicatione episcopi illius loci. Quod si fe-
cerit, domus illius fisci viribus addicatur. Comes
vero, qui hoc cognovit, et non prohibuit, publica
pœnitentia mulctetur, vel honore privetur.

CAP. XVI. *De expositis infantibus ac collectione
eorum.*
Ex eodem, cap. 154.

(vi, 142.) Si expositus ante ecclesiam cujusquam
fuerit miseratione collectus, contestationis ponat
epistolam: et si is qui collectus est intra decem dies

quæsitus agnitusque non fuerit, securus habeat qui col-
legit. Sane qui post prædictum tempus ejus calum-
niator exstiterit, ut homicida, ecclesiastica distri-
ctione damnabitur, sicut Patrum sanxit auctoritas.

CAP. XVII. *De quorum baptismate absque dissimula-
tione dubitatur, ut rebaptizentur præceptum est.*

Ex eodem, cap. 184.

(VI, 181.) De quibus dubium est utrum sint bap-
tizati an non, omnimodis absque ullo scrupulo bap-
tizentur: his tamen verbis præmissis, *Non te reba-
ptizo, sed si nondum baptizatus es, baptizo te in no-
mine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

CAP. XVIII. *Quot sint dies purificationis mulieris.*

Ex eodem, cap. 207.

(VI, 204.) Cum enixa fuerit mulier, post quot dies
debeat ecclesiam intrare, Testamenti Veteris præce-
ptione didicimus, ut pro masculino diebus xxxiii, pro
femina lxxvi debeat abstinere. Quod tamen, ait san-
ctus Gregorius, sciendum est quia in mysterio acci-
pitur. Nam si hora eadem qua genuerit actura gra-
tias intret ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur.
Voluptas etenim carnis, non dolor, in culpa est. In
carnis autem commistione voluptas est, in prolis
vero prolatione gemitus. Unde et ipsi primo matrimo-
nio dicitur: *In doloribus paries (Gen. iii).* Si itaque
ipsam mulierem prohibemus ecclesiam intrare, ip-
sam ei pœnam suam culpam deputamus.

CAP. XIX. *De conservanda fide inter virum et uxorem.*

Ex eodem, cap. 424.

(VI, 327.) Scire omnes volumus, sicut et sæpius a
dominis episcopis, et a reliquis Dei servis admoniti
sumus, quod viri uxoribus suis, et uxores similiter
viris suis, veraciter fidem et dilectionem servare de-
bent, et non in aliquo ab his declinare: et quod non
liceat conjugatis, neque pellicem, neque concubinam
habere.

CAP. XX. *De sacerdotibus qui ministerium suum adim-
plere non valent.*

Ex libro VII, cap. 137.

(VII, 100.) Sacerdotes qui rite non sapiunt adim-
plere ministerium suum, nec discere juxta præcep-
tum episcoporum suorum pro viribus satagunt, vel
contemptores canonum existunt, ab officio proprio
sunt removendi, quousque hoc pleniter emendatum
habeant.

CAP. XXI. *Ut nullus iudex neque presbyterum, neque
diaconum, aut clericum, sine conscientia episcopi
sui distringat.*

Ex eodem, cap. 139.

(VI, 154.) Ut nullus iudex neque presbyterum,
neque diaconum, aut clericum, aut juniorem ecclesiæ
sine conscientia pontificis per se distringat, aut con-
demnare præsumat. Quod si fecerit, ab ecclesia cui
injuriam fecit quam irrogare dignoscitur tandiu sit
sequestratus, donec reatum suum cognoscat, et

A CAP. XXII. *Ut presbyteri in ecclesiis inconsulto epi-
scopo non constituentur, vel de ecclesiis expellantur.*

Ex eodem, cap. 145.

(VII, 120.) Sancitum est ut sine auctoritate vel
consensu episcoporum presbyteri in quibuslibet ec-
clesiis nec constituentur, nec expellantur. Et si quis
deinceps hoc facere tentaverit, synodali sententia
districte feriat.

CAP. XXIII. *Ut illicitus accessus feminarum ad altare
non fiat, nec ullæ feminae vasa sacra, aut corpus et
sanguinem Domini contrectare præsumant.*

Ex eodem libro, cap. 190.

(VII, 134.) Statutum est ut illicitus feminarum ac-
cessus ad altare non fiat, quia contra omnem aucto-
ritatem divinam et canonicam institutionem est, fe-
minas sanctis altaribus se ultro ingerere, aut sacra-
ta vasa impudenter contingere, sive indumenta sacer-
dotalia presbyteris ministrare, aut corpus et sangui-
nem Domini contingere, populisque porrigere: quod
omni ratione caret, et ne ulterius fiat omnimodis
prohibitum est. Et quæcunque feminae deinceps hoc
facere præsumperint, iudicio canonico usque ad
satisfactionem subdantur. Quod autem mulieres in-
gredi ad altare non debeant, in concilio Calchedo-
nensi, et in decretis Gelasii papæ copiosissime in-
venitur.

CAP. XXIV. *De violatoribus sepulcrorum.*

Ex eodem, capite 192.

(VII, 136.) Qui sepulcra violaverint puniantur, tam
C ingenui, quam servi. Si major persona in hoc scelere
fuerit deprehensa, amissa medietate honorum suo-
rum, perpetua notetur infamia: si clericus, depositus
omni honore clericali, perenni exilio deputetur. Si
iudex hoc persequi aut implere distulerit, facultatibus
et honore privetur.

CAP. XXV. *De clericis, si ebrietatem non vitaverint,
aut excommunicentur, aut verberentur.*

Ex eodem cap. 270.

Ante omnia clericis vitetur ebrietas, quæ omnium
vitiatorum fomes ac nutrix est, nec quis potest liberum
corporis sui ac mentis habere iudicium. Qui est captus
vino a sensu probatur esse alienus, et proclivius ad
iudicium mens labefacta ducitur: ac plerumque solet
peccatum aut crimen dum nescit incurrere. Ignoran-
tia vero talis non potest effugere pœnam, quam ex
voluntaria amentia manasse constiterit. Itaque quem-
cunque ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur,
aut xl dierum spatio a communione statuimus sub-
movendum, aut corporali subdendum esse supplicio.

CAP. XXVI. *Ut testes, priusquam de causa interro-
gentur, sacramento constringantur.*

Ex eodem, cap. 283.

(VII, 207.) Testes priusquam de causa interro-
gentur, sacramento debere constringi, ut jurent se nihil
nisi rei veritatem esse dicturos. Hoc etiam jubemus
ut honestioribus magis quam vilioribus testibus fides
potius admittatur. Unius autem testimonium, quam-

libet splendida et idonea videatur esse persona, A ullo unquam tempore tradere potuerunt, nec modo nullatenus audiendum.

CAP. XXVII. *Ut mancipia, quæ Judæi emerint aut circumciderint, ab eorum potestate auferantur.*

Ex eodem, cap. 286.

(VII, 209.) Si quis Judæorum Christianum servum, vel cujuslibet alterius sectæ, emerit vel circumciderit, a Judæi ipsius potestate sublatus in libertate permaneat.

CAP. XXVIII. *De vagis et levibus sacerdotibus ac clericis.*

Ex eodem, cap. 296.

(VII, 217.) Hoc etiam placuit, ut vagus atque instabilis clericus, sive etiam in diaconali ministerio, vel presbyterali officio constitutus, si episcopi, a quo ordinatus est, præceptis non obedierit, ut in delegata sibi ecclesia officium dependat assiduum, quousque in vitio permanet, communionem et honorem privetur.

CAP. XXIX. *De castitate eorum qui conjugio sunt copulati.*

Ex eodem libro, cap. 389.

(VII, 305.) Sciendum est omnibus et firmiter retinendum, quod hi qui uxores ducere voluerint, sicut eas castas et incorruptas cupiunt invenire, sic ad eas casti et incorrupti debent accedere, easque cum benedictione sacerdotis, sicut in Sacramentario continetur, accipere: sed prius eas dotali titulo debent colligare.

CAP. XXX. *De his qui a chorepiscopo confirmati sunt.*

Ex eodem libro, cap. 402.

(VII, 317.) Si quis non ab episcopo, sed a chorepiscopo, qui non est episcopus, sed vicarius episcopi, priusquam prohibiti essent, fuerit confirmatus, reiterari aliis benedictionibus debet. Nam chorepiscopi, ante apostolicam atque synodalem prohibitionem, non ex numero apostolorum, sed ex CLX discipulorum, ut sacri canones testantur, ordine erant, quos nunquam Spiritum paracletum tradidisse novimus. Sed quia olim, ut dictum est, jam dicti chorepiscopi prohibiti sunt, ideo modo nihil sunt, nec Spiritum paracletum

ullo unquam tempore tradere potuerunt, nec modo possunt.

CAP. XXXI. *Item de chorepiscopis.*

Ex eodem libro, cap. 423.

(VII, 328.) Placuit ut sicut Leonis papæ et omnium episcoporum nostrorum, atque reliquorum fidelium generali et synodali consultu decrevimus, nullus chorepiscopus per manus impositionem Spiritum sanctum tradere, aut sacerdotes, vel levitas, aut subdiaconos sacrare, vel virgines velare, aut sanctum chrisma conficere vel ecclesias vel altaria sacrare, aut benedictionem in publica missa populis tribuere præsumat. Quæ omnia summis pontificibus, id est cathedralibus episcopis debentur, et non chorepiscopis, vel presbyteris, quorum formam juxta sanctorum decreta chorepiscopi gerunt. Si autem hi aliquid ex his agere tentaverint, irrita erunt quæ ab eis geruntur, et ipsi omni ecclesiastico honore funditus priventur.

CAP. XXXII. *De his qui seipsos necant.*

Ex eodem, cap. 443.

(VII, 144.) Quicumque se propria voluntate aut in aquam jactaverit, aut collum ligaverit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percusserit, aut cuilibet voluntariæ se morti tradiderit, istorum oblatio non recipiatur.

CAP. XXXIII. *Qualiter hæc statuta servanda sint: et de his qui hæc contempserint, sive clericis, sive laicis, quid agendum sit.*

Ex eodem, cap. 476.

(VII, 375.) Has omnes constitutiones ecclesiasticas, quas summatim breviterque perstrinximus, sicut plenius in canonibus continetur, manere perenni stabilitate sancimus. Si quis ergo clericus, aut laicus, harum sanctionum inobediens esse voluerit, si clericus fuerit, excommunicationi subjaceat; si vero laicus, et honestioris loci persona, medietatem facultatum suarum amittat fisci viribus profuturam: si vere minoris loci persona est, amissione rerum suarum mulctatus in exilio deputetur.

ANNO DOMINI DCCCLXXX.

ODO BELLAVOCENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Galia christiana, tom, IX.)

Ex abbate Corbeie Odo renuntiatus est anno 860 D Mariae Suessionensis. Anno 862 adfuit concilio Pis-
exeunte, vel 861 ineunte, episcopus Bellovacensis, tensesi, cujus epistolæ synodice pro Dionysiano mo-
post rejectum ab Hincmaro et comprovincialibus epi- nasterio, et privilegio sancti Martini Turonensis
scopis, ut minus dignum vel capacem, nescio quem subscripsit. Eodem anno Acta Synodi Suessio-
Frimoldum. Nomen ejus reperitur an. 858 in sub- nensis, in qua Rothadus Suessionensis episcopus
scriptionibus vitiosis chartæ Caroli Calvi, in qua re- indigne exactoratus fuerat, Romam detulit ad Ni-
censetur et confirmantur bona Parthenonis B. colaum papam, ab eoque obtinuit, anno sequenti,